DE

APOLLONII RHODII ARGONAUTICORUM FONTIBUS QUAESTIONES SELECTAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO
PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI
RITE IMPETRANDOS
SCRIPSIT

AEMILIUS KNORR
SCHWARZENBERGENSIS.

LIPSIAE
TYPIS HALLBERGI & BUECHTINGI
MCMII.

CURTIO WACHSMUTH

CONRADO CICHORIUS

SACRUM.

CURTIO WACHSMUTH

CONRADO CICHORIUS

SACRUM.

De Apollonii Rhodii Argonauticorum fontibus quamquam multi iam disputaverunt, tamen duabus potissimum causis adductus quaestionem rectractandam esse existimo: neque enim exhauserunt laborem quotquot adhuc susceperunt illud munus viri docti[1]), neque in omnibus rebus, sicut equidem iudico, satis caute egerunt. Ex hac autem ipsa cautela adhuc nimis neglecta puto mihi initium esse capiendum.

Ac quam male actum sit de quaestione, vel inde apparet, quod ex multis[2]) illis de Argonautarum fabula

---

1) Honoris tantum causa affero antiquissimas illas et uberrimas commentationes:

G. E. Groddeck, 'Biblioth. der alten Litteratur und Kunst' II, p. 61 sqq., Gottingae 1787.

—, Ind. lect. univ. litt. Vilnae 1823.

Aug. Weichert, 'Über das Leben und Gedicht des Apollonius von Rhodus.' Misniae 1821, p. 133 sqq.

Quae sunt nunc quidem maxima ex parte obsoletae nec non prava omnino ratione institutae. Recentioribus autem temporibus nemo adhuc copiosius tractandam quaestionem sibi proposuit, sed obiter tantum ac data occasione materia attacta est ab hominibus quibusdam, quorum ex numero nunc quidem hos proferam aliis postea laudandis:

J. Stender, De Argonautarum ad Colchos usque expeditione fabulae historia critica. Kiliae 1874.

M. Groeger, De Argonauticarum fabularum historia quaestiones selectae. D. I. Vratisl. 1889.

2) Enumeravit libros illos A. Couat, 'La poésie alexandrine sous les trois premiers Ptolémées.' Lutetiae Parisiorum 1882, p. 300 sqq.

operibus, quibus uti licebat Apollonio, nunc quidem unum Pindari carmen Pythicum quartum integrum exstat Cyrenae regi Arcesilao dedicatum. Quo carmine poeta Argonautarum expeditionem summatim enarravit accuratiusque eas potissimum res depinxit, quibus illa urbs cum Argonautarum fabula coniuncta erat. Ceteri autem de Argonautis libri ante Apollonii aetatem compositi[1]) vel paucis et parvis frustulis vel etiam nomine tantum nobis quidem sunt cogniti.

Deinde cum fragmentorum illorum longe plurima contineantur scholiis carmini Apolloniano adscriptis, totam ipsorum scholiorum vim atque indolem accuratius oportebit respiciamus.

Atque scholia Apolloniana e Lucilli Tarrhaei et Sophoclis et Theonis[2]) commentariis fluxisse subscriptione codicis Laurentiani illius praeclarissimi cognoscitur. Neque vero integri commentarii illi antiqua doctrina referti scholiis continentur, sed frustula tantum parva eaque haud bene comparata. Scimus enim illos antiquioris doctrinae thesauros posterioribus saeculis indoctioribus magis magisque esse coartatos. Huc accedit, quod Byzantinae aetatis grammatici tanta erant incuria atque indiligentia, ut permulta parum caute examinarent ideoque saepius alia inter se disiuncta confunderent, alia eaque haud raro gravissima vel temere mutarent vel etiam omnino neglegerent, adiungerent alia minoris ne dicam

1) Antiquissimis iam temporibus Argonautarum fabulam multimodis fuisse decantatam documento sunt verba illa Homeri notissima: *μ* 70: *Ἀργὼ πᾶσι μέλουσα.*

2) Cf. Stender l. l. p. 15 et E. Bethe, Quaestt. Diodor. mythogr., D. I. Gotting. 1887, p. 91. — Neque tamen subsidiis nostris fieri iam posse existimo, ut quae singulis illis commentatoribus debeantur certis terminis circumscribamus. Accedit quod minoris illud esse momenti nemo negaverit.

minimi pretii. Quomodo factum est, ut accuratissime singula examinanda sint, si quidem vera ac falsa apte diiudicare nec non perperam inter se coniuncta recte dissolvere tibi proposueris.

Talibus autem multorum hominum iteratis curis tentata esse scholia etiamnunc quodammodo inde cognoscitur, quod tres illae quibus scholia Apolloniana nobis servata sunt recensiones, quamvis in universum congruant, tamen in multis singulis rebus vehementer inter se differunt. Neque hanc rem praetermittendam esse nunc quidem constat inter viros doctos. Etiamsi enim recto talo stat Keilii sententia, qui in Apollonii editione Merkeliana a. 1854 scholia Laurentiana edenda curavit et codicem *L* scholiorum Florent. *(f)* et Paris. *(p)* fontem esse pronuntiavit, tamen hoc tempore compertum habemus iusto magis neglecta esse a Keilio illa duo apographa[1]): cf. Bergkii ad Pind. fr. 167 notam et Wilomowitzium, Eur. Her. I. p. 187, adn. 132; ²II p. 132 adn.

Atque Florentinis quidem scholiis non modo plura exhiberi, sed interdum etiam meliora servari Carolus Luetke, Pherecydea, D. J. Gotting. 1893, p. 35 n. 3 duobus exemplis allatis probavit, alio loco ad hanc quaestionem rediturum se esse pollicitus. Utrumque autem scholiorum genus respexit E. Fitch, qui in dissertatione 'De Argonautarum reditu quaestiones selectae', Gottingae 1896, p. 70 sqq. apographorum in singulis quibusdam rebus auctoritatem demonstrare sibi proposuit. Unde quamquam illorum apographorum usu nos non posse prorsus carere apparet, tamen cum cautione ea adhibenda esse nemo peritus negaverit, quoniam et in ipsis illis scholiorum recensionibus haud pauci insunt sive errores

---

1) Edita sunta G. H. Schaefero in Apollonii editione Brunckiana (tom. II: ²1813).

sive lacunae sive interpolationes, id quod maxime valet de Parisinis scholiis. Iam quid de ipsis scholiorum testimoniis iudicandum sit quaeramus.

Ac non solum quid ceteri auctores eodem, quid alio modo atque Apollonius de singulis fabulis narraverint adnotatur scholiis saepissime, sed interdum etiam quo auctore usus sit poeta disertis verbis indicatur. Tamen quaeritur, num ab omni parte confidere liceat illis fontium indiculis. Quod ut decernamus, maxime opinor reputandum est, quo tandem consilio poetae commentatores eiusmodi adnotationes adscripserint.

Atque Weichertus quamvis in universum iam rectissime de hac re iudicaverit, tamen quid necessario inde sequatur, ipse mirum quantum omisit concludere. Nihil enim aliud fecit nisi ut ipsis illis scholiorum testimoniis confisus eos libros enumeraret, quibus uti licebat Rhodio poetae. Quoniam autem recentiore quoque aetate qui de Apollonii fontibus egerunt scholiorum illis testimoniis nimium fidei habuerunt, ad Weicherti ratiocinationem animum advertere necesse mihi videtur. Atque haec fere exposuit vir doctus de fontium illis indiculis (l. l. p. 133—138):

Mos erat antiquorum interpretum, ut quam plurimas possent varias fabulas nominaque auctorum colligerent atque enumerarent. Neque, cum ita rem agebant, doctrinam solum ostentare volebant, sed putabant etiam se haud pauca enumerationibus illis conferre ad poetae versus illustrandos atque explanandos. Magnopere autem erraremus, si commentatores illos, quos aetate multo inferiores poeta fuisse tenendum est, quicquam certi proferre potuisse crederemus de operibus ab Apollonio re vera adhibitis. Sed quamvis saepe utantur illi locutionibus veluti ἠκολούθηκε Ἀπολλώνιος, παρέλαβε ὁ ποιητής similibus, tamen nil aliud illos voluisse apparet, nisi eos auctores

enumerare, qui de eadem re similiter disseruerant. Atque eodem illo colligendi et comparandi studio explicandum est, quod earum quoque rerum fecerunt mentionem, quibus singuli scriptores discreparent a poeta.

Hanc Weicherti de scholiorum Apollonianorum testimoniis sententiam veram esse prorsus eis confirmatur, quae nostris temporibus statuta sunt de similibus fontium indiculis apud Parthenium nec non in scholiis Homericis cf. Erwinum Rohde (Griech. Rom. p. 114 sqq. adn.) atque Eduardum Schwartz (De scholiis Homericis ad historiam fabularem pertinentibus. Annal. Philol. Suppl. XII. p. 403 sqq.).

His omnibus argumentis evincitur prorsus aliter illam de Argonauticorum fontibus quaestionem esse instituendam. Quicunque enim sine ira ac studio illa pauca adhuc nobis relicta subsidia consideraverit, fere nullam concedet iam facultatem datam esse ad veros Argonauticorum fontes indagandos atque cognoscendos. Ac ne illud quidem contendi licet mea sententia, nos multum profecturos esse, si re vera adhuc possemus illud assequi.

Multo gravius mihi videtur perspicere, quanam via ac ratione usus sit Apollonius in variis Argonautarum fabulis eligendis, adhibendis, enarrandis, coniungendis. Hoc autem ut accuratius examinemus, ipsa Apollonii in singulis rebus tractandis consuetudine adducimur. De qua Jessenus in Wissowiana encyclop. II 748 adeo recte mihi videtur disseruisse, ut ipsa eius verba afferre mihi liceat:

„Nicht bestrebt, neue Werte und Charakteristiken zu schaffen, sucht er nur die gründlich studierte, vielfach sich widersprechende Überlieferung zu einem correcten Ganzen zusammenzufassen.[1]) Daher schliesst er

1) Quomodo tamen hoc contigerit poetae, ipsi posthac compluribus locis videbimus.

sich auch bald der einen, bald der andern Quelle an, oder er kombiniert mehrere Motive, wie z. B. bei den Ereignissen in Libyen. Bei der mythologischen Verwertung seiner Erzählung muss man, mehr als bisher geschehen, derartige Combinationen in ihre Bestandteile auflösen."

En habemus simul, quae in Argonauticorum fontibus inquirendis maxime respiciamus necesse est.

Multo melius igitur absolvemus quaestionem nostram, si non tam ad auctorum a poeta adhibitorum vana nomina constituenda aggrediemur quam ad rationem eam adumbrandam, quae intercedat inter poetae atque scriptorum ab eo usurpatorum fabulas. Atque ita hoc nobis expediendum erit, ut quantum poterimus, diiudicare studeamus, quemnam locum atque auctoritatem omnino Apollonius in singularum fabularum Argonauticarum progressu obtinuerit.

Sed cum totam illam materiam absolvere in praesens tempus mihi non liceat nunc quidem paucas quaestiones instituere in animo est.

§ 1. De causa expeditionis.

De expeditionis causa Apollonius breviter enarrat I. vv. 5—17. Occurrunt autem nonnulla in his paucis versibus, quae usque eo discrepent a ceterorum auctorum nobis cognitorum fabulis, ut in hanc ipsam carminis partem accuratius inquirere haud ita absonum mihi videatur.

Ac quae autores antiqui de expeditionis causa tradiderunt, nuperrime perlustravit interque se comparavit Maximilianus Groeger l. l. p. 5 sqq. Maximam autem rationem habuit Pindari (Pyth. IV, 130 [232] sqq.) et Pherecydis (schol. Pind. Pyth. IV 133 = frgm. 60 M.[1]),

---

1) Neque enim quae ex schol. Hom. μ 70 exscripsit Muellerus in fr. 59 ea omnia Pherecydi tribui licere rectissime Groe-

qui in testium illorum numero certe primum locum obtinent.

Atque quamquam utramque narrationem accuratius perlustrantes tantum illum inter duos auctores consensum esse, quantum Groegerus voluit negabimus[1]), tamen in multis iisque gravibus rebus usque eo inter se congruunt, ut ex communi quodam antiquiore fonte fluxisse narrationes duas appareat. Neque vero etiamnunc fieri posse existimo, ut quis fuerit ille communis auctor eruamus. Nam quod Groeger Hesiodum illum fuisse suspicatus est, nullo certo testimonio confirmari hanc sententiam ipse concessit. Mea quidem sententia nil pro certo statui licet nisi illa, quibus Pindarus ac Pherecydes inter se consentiunt, ad vulgatam quam vocant fabulam esse revocanda. Hoc enim manifestum fit ex Apollod. Biblioth. I, 9, 16, 2 sqq., ubi in universum — pauca admixta sunt Apolloniana[2]) — narrationis Pherecydeae argumentum iisdem fere verbis redditum esse cognoscimus. Qua re simul illud confirmatur, quod nuperrime H. Bertsch, 'Pherecydeische Studien' (Progr. Tauberbischofsh. 1898) demonstravit, Pherecydem scilicet exceptis rebus genealogicis ita fungi opera sua esse solitum, ut fabulam vulgatam sequeretur.

Pindarum contra in eis, quibus causa expeditionis

---

gerus monuit. Nil aliud in hoc scholio ad Pherecydem certo revocari potest nisi illud, quod Iasonis matrem Alcimeden appellavit. Nam hoc solum scholio illo disertis verbis ei vindicatur ac simul optime confirmatur scholl. Apollon. I 45 et 230

1) Nimis enim ille ea, quibus re vera differunt inter se Pindarus atque Pherecydes, attenuare et imminuere studuit; cf. e. g. quae p. 7 de epularum mentione statuit.

2) Omnino licet observare Apollonii Argonautica usque eo sequentibus saeculis viguisse atque floruisse, ut permultae narrationes Argonauticae illa qua poeta Rhodius eas induerat forma in vulgarem fabularum memoriam reciperentur.

continetur, rebus depingendis multa novasse Groegerus recte p. 8 sq. exposuit.

Iam videamus quem Apollonius locum teneat in fabulae memoria.

Quod Groegerus statuit illa quae Pherecydes narraverit eadem fere atque iisdem paene verbis redire apud Rhodium poetam, probari nequit. Hunc autem alia atque Pherecydem verba usurpasse vel propterea manifestum est, quod ut poeta metri ipsa necessitate saepius eo compulsus est, ut alia ratione uteretur in verbis eligendis.

Sed ipsis etiam rebus Apollonium a Pherecyde haud leviter differre apparet. Praeterquam enim, quod nonnulla, quae Pherecydes disseruerat, omnino desunt in versibus Apollonianis — veluti tacet Rhodius, quae Pelias ex Iasone quaesiverit quaeque adulescens ei responderit — etiam alias res poetam multo aliter atque genealogum explanasse cognoscitur.

Atque primum quidem Apollonius v. 11 Jasonem alterum *πέδιλον* in Anauro fluvio amittentem[1]) inducit, cum Pherecydes enarraverit adulescentem nudis pedibus flumen transgressum sinistrum calceum subligare esse oblitum. Neque difficile est diiudicare, utra fabulae forma maiorem prae se ferat speciem probabilitatis.

Deinde autem illud poetae proprium est, quod de sacris a Pelia factis perhibet. Atque vulgari quidem fabula (cf. Pherec. et Apollod.) Neptuno sacrificia a rege facta esse cognoscimus. Poeta vero narrat Peliam alios quoque deos sacris coluisse et disertis verbis addit Iunonem Pelasgicam ab illo esse neglectam. Quod elucet eo consilio ab Apollonio novatum esse, ut notissimas illas inter Peliam et Iunonem inimicitias, quarum primus

1) Huius fabulae formam iam auctor scholii Pind. Pyth. IV, 133 adscripti Pherecydeae narrationi opposuit atque ipsum illum Apollonii locum exempli causa protulit.

testis Pherecydes exstat, aliquo modo illustraret atque explicaret.

Tamen nimis abrupte illam Iunonis neglectae mentionem hoc loco insertam esse nemo opinor infitiabitur. Itaque alterum carminis locum ad eandem rem pertinentem haud inutile erit comparare, quippe quo melius poetam rem egisse intellegatur: III 56 sqq. Ipsam enim Iunonem Apollonius hoc loco de Peliae culpa ita conquerentem facit, ut summa ira inflammata dea se ulturam esse illud flagitium declaret. Neque inepte illi Peliae erga Iunonem culpae poeta hoc loco Iasonis in deam meritum opposuit, de quo eandem Iunonem verba facientem inducit. Fingit autem Apollonius Iasonem olim, cum dea anus specie induta hominibus se immiscuisset, misericordia permotum eam Anaurum flumen imbribus auctum umeris transportasse. Neque casui fortasse tribuendum erit, quod haec fabula apud nullum superioris Apollonio aetatis auctorem invenitur. Sed redeamus ad initium carminis Apolloniani.

Atque tertium quod inter poetam et Pherecydem intercedat discrimen in mandato illo Peliae regis positum esse nemo non intelleget. Apollonius enim nil aliud affert nisi Peliam propterea Iasoni periculosam expeditionem imposuisse, quod adulescentem illa interiturum esse speraverit (cf. vv. 15 et 16). Sed haud iniuria hic quispiam interrogaverit, cur tandem Pelias, si quidem illud voluerit, aureum potissimum vellus ab Aeeta petendum Iasoni mandaverit.

Atque mandatum illud Pherecydes quidem vel quem secutus est auctor quodammodo saltem explicare studuit; haec enim fere narravit ille: Quaesivit Pelias ab adulescente, quidnam eo facturus esset, a quo sibi mors impenderet; cui respondit Iason se illi ut vellus aureum arcesseret esse mandaturum; hoc vero Iunonem ei sug-

gessisse, ut Medea Iolcum veniret tyranno perniciem allatura.

Ex his autem, quae Pherecydes protulit, illam quidem Medeae ultricis mentionem tralaticiam fuisse suspicandum est: adhibuit enim eam etiam Pindarus c. l. v. 250 [445]: *κλέψεν τε Μήδειαν σὺν αὐτᾷ, τὰν Πελίαο φόνον.*

Sed primus Pherecydes testis est fabulae illius ad probandum Peliae mandatum usurpatae, quamquam genealogus utrum hoc ipse novaverit an traditum invenerit, in ambiguo relinquendum est.

Neque vero ad ipsum Pherecydem Rhodii poetae narrationem referre licet, cum initio carminis Apolloniani nullum omnino Pherecydeae illius fabulae inveniatur vestigium.

Tamen non incognitam fuisse Alexandrino poetae fabulam illam in compendia mythologica receptam (cf. Apollod. Biblioth.), duo ipsius carminis loci documento sunt, quos in medium proferre satis habeo:

III, 1134 sqq.: *ὥς γὰρ τόδε μήδετο Ἥρη,*
ὄφρα κακὸν Πελίῃ ἱερὴν ἐς Ἰωλκὸν ἵκοιτο
Αἰαίη Μήδεια, λιποῦσ᾽ ἄπο πατρίδα γαῖαν.

IV, 241 sqq.:
οἱ δ᾽ ἀνέμου λαιψηρὰ θεᾶς βουλῇσιν ἀέντος
Ἥρης, ὄφρ᾽ ὤκιστα κακὸν Πελίαο δόμοισιν
Αἰαίη Μήδεια Πελασγίδα γαῖαν ἵκηται.

Sed iam quae Pindarus de mandato Peliae narraverit examinemus.

Atque hoc quidem poeta auctore (cf. c. l. v. 155 [275] sqq.) Iason paternum regnum a Pelia reposcit, is autem morem se gesturum esse simulata comitate pollicetur, ubi primum ille *μᾶνιν χθονίων* (v. 284) placaverit atque vellus aureum e Colchide terra arcessiverit. Se ipsum autem addit ne haec perpetret senectute impediri. Atque Iason obsequitur voluntati Peliae.

Quam de ira iussuque inferorum et de Phrixi umbra narrationem Pindari propriam fuisse vel schol. Pind. Pyth. IV 281 testimonio confirmatur. Neque iniuria Groegerus quantopere praestet illa ceteris exposuit (l. l. p. 9). Hoc enim modo Iason non tam Peliae quam deorum voluntati obediens videtur in Colchidem terram navigare neque iam miramur praeclarissimos heroas adulescentem esse secutos.

Sed magnopere erraremus, si Apollonium illam Pindari de mandato narrationem fugisse inde colligeremus, quod initio quidem carminis prorsus aliter rem illustrat. Immo duobus aliis carminis locis talia exstant narrationis Pindaricae vestigia, ut ipsum Pindarum a poeta Alexandrino inspectum esse nullo modo possimus negare.

Ac primum irae illius, quam quidem ad Iovem solum refert Apollonius, mentio occurrit secundo carminis libro, ubi (v. 1179 sqq.) Iasonem Phrixi filiis ab Argonautis e naufragio servatis facit ennarrantem, qua de causa susceperit navigationem periculosam; vide verba ducis vv. 1194/5: *ἐπεὶ Φρίξοιο θυηλὰς*
στέλλομαι ἀλθήσων, Ζηνὸς χόλον Αἰολίδῃσιν.

Deinde autem apud poetam de eadem ira placanda Argus ille, Phrixi filius natu maximus, qui Apollonio teste Aeetae regi Argonautarum aperuit consilium (cf. III, 332 sqq.), verba facit haec:

v. 336 sqq.: *οὐ δ᾽ ὑπαλύξειν*
στεῦται ἀμειλίκτοιο Διὸς θυμαλγέα μῆνιν
καὶ χόλον, οὐ δ᾽ ἄτλητον ἄγος Φρίξοιό τε ποινὰς
Αἰολιδέων γενεήν, πρὶν ἐς Ἑλλάδα κῶας ἱκέσθαι.

Neque potest negari Apollonium admodum eleganter hoc quidem loco in usum suum convertisse illam deorum vel potius Iovis voluntatem, quippe qua Argonautarum vellus aureum petentium verba plus habuerint gravitatis.

Atque Pindari carmen Rhodio poetae hic animo obversatum esse etiam inde cognoscitur, quod Peliam metuisse Aeolidarum genus Apollonius v. 335 breviter indicat. Nam Aeolidas a Pelia imperio deiectos esse ipse Pindarus finxerat, id quod recte Groegerus (p. 8) mihi videtur exposuisse.

Sed de expeditionis causa haec hactenus. Existimo autem iam ex eis quae adhuc diputavimus intellegi, qua ratione Apollonius usus sit et in fabulis adhibendis et in singulis rebus probandis atque coniungendis. Praeterea illud quoque cognovimus nonnulla quidem ab ipso poeta videri esse novata.

Sed quamquam locis quibusdam satis feliciter rem egisse nobis visus est, tamen in universum poetae non contigit, ut unam atque absolutam narrationem efficeret. Multas enim res gravissimas alio loco omisit, protulit alio: Vide quae iam R. Volkmann, 'Einige Bemerkungen über die Argonautica des Apollonius von Rhodus' (Progr. Gymnasii Jauerensis 1875) p. 2 in ipsis illis primis carminis versibus offenderit: „Vergebens fragen wir nach dem Lande, in welchem Pelias herrscht, nach der Stadt, in welcher er und Jason wohnt, sowie nach dem Verhältnis, welches zwischen ihm und den Angehörigen des letzteren besteht.“

Satis autem bonis in hac ipsa quam adhuc absolvimus parte dissertationis tractanda propterea usi sumus subsidiis, quod etiamnunc exstat illud carmen Pindari. Atque memorabile duco scholiis Apollonianis ne minimum quidem vestigium inveniri illius quae inter Pindarum et poetam Alexandrinum intercedat rationis. Hac re iterum efficitur ad quaestionem nostram expediendam scholia sola non sufficere.

Sed iam aliam carminis partem aggrediamur.

§ 2. De rebus Cyzici factis.

De rebus Cyzici factis Apollonius agit I 936 sqq. Atque in universum Alexandrinus poeta in hac carminis parte putandus est haud raro eorum scriptorum institisse vestigiis, qui proprios de ipsis fabulis Cyzicenis libros composuerant. His quidem, sicut vel ex parvis illorum frustulis licet concludere, haud paucae aetiologicae quas dicimus fabula erant exhibitae de locorum istorum monumentis, festis diebus, moribus, ritibus, aliis rebus similibus. Permulta enim eiusmodi Cyziceni servaverant ut ipsi credebant ex Argonautarum expeditione relicta, de quibus vide, quae nuperrime Jessenus accurate exposuit l. l. II, 757.

Sed quamquam illorum scriptorum tenuissima est memoria, tamen de uno quidem certius iudicium ferri posse arbitror. Saepius enim in scholiis laudatur Deilochus logographus Proconnesius, quem ante bellum Peloponnesiacum vixisse Dionysii Halicarnassensis (de Thucyd. iudic. 5) testimonio confirmatur. Atque cum diligenter scholiis adnotetur, quo loco consentiat, quo dissentiat poeta, commentatores carminis antiquos legisse illum scriptorem atque cum Apollonio comparavisse haud temere statuemus. Quaeramus igitur, quaenam inter logographum veterem et poetam Alexandrinum intercedat ratio.

Atque fragmenta libri Deilochei, *περὶ Κυζίκου*, quae uno excepto scholiis Apollonii debemus, composuit Car. Mueller, FHG II (1848), p. 17 sqq., cui tamen nondum uti licuit codicis Laurentiani scholiis aliqua ex parte amplioribus et melioribus.

Ac primum quidem logographi fragmentum 5 M. (scholl. I, 987 et 989) attendere in animo est, quippe quod ad totam Deilochei libri indolem accuratius cognoscendam mihi quidem maxime videatur idoneum. Sunt autem scholiorum verba haec:

987[1]): *Χυτοῦ λιμένος*: *Χυτὸς λιμὴν ἐν Κυζίκῳ ουτω καλούμενος. ἐπεχείρησαν δὲ οἱ Πελασγοὶ χῶσαι αὐτόν, ὥς φησι Δηίλοχος, κατὰ ἔχθος τὸ πρὸς τοὺς Θεσσαλούς, ὑφ' ὧν ἐξεβέβληντο. οὗτος δὲ* (scil. *Ἀπολλώνιος*)[2]) *ὑπὸ τῶν Γηγενῶν φησι κεχῶσθαι αὐτὸν ποιητικῶς.*

989[3]): *Γηγενέες δ' ἑτέρωθεν*: *Δηίλοχος Θετταλοὺς εἶναί φησιν ἐγχειρογάστορας. τοὺς δὲ Γηγενεῖς φησι* (scil. *Ἀπολλώνιος*[4]) *τοῖς Ἀργοναύταις ἐπιβουλεῦσαι, δοκοῦντας λῃστὰς εἶναι, ὡς Πολύγνωστος.*[5])

Atque suo iure C. Muellerus Otfr. Muellerum secutus demonstravit, Pelasgos hoc loco intellegendos esse Thessalicos, qui ab Aeolidis patria pulsi in Cyzicenam regionem migraverant ibique urbem Cyzicum condiderant. Hi igitur veteris iniuriae ab Aeoli progenie sibi illatae memores et rapinas eorum metuentes portum illum obstruxerant.

Neque vero hoc quidem loco recto talo stat verbi *ἐγχειρογάστορες* quam Muellerus Hesychium v. *ἐγχειροχάστορες* et Strabonem VIII p. 372 secutus protulit explicatio,

1) Locorum laudatorum numeri, nisi aliud adnoto, ad editionem Merkelianam Argonauticorum, scholiorum Keilianam spectant.

2) Recte Muellerus ita intellexit pronomen *οὗτος* saepius scholiis illo modo usurpatum: cf. e. g. scholl. I 224; II 1122.— Tamen scholiastam illa antithesi paululum rem flexisse apparet, quoniam aedificatum esse portum a Gigantibus Apollonius ipse minime memoravit.

3) Scholium p omnino non licet usurpare, quippe quo scholiasta ille fontis verba falso intellexerit atque coninnxerit praveque amplificaverit.

4) Verbi *φησὶ* subiectum supplendum esse *Ἀπολλώνιος* idem Muellerus recte statuit. Videmus autem, quomodo antiquorum commentatorum verba hoc quidem loco olim haud dubie ampliora scholiis sint contracta.

5) Ita errorem scholiastae Laurentiani, qui *Δηίλοχος* exhibuit, C. Wachsmuth emendavit coll. schol. I 996.

illos scilicet Thessalorum fuisse, qui suis manibus victum sibi pararent.

Quam verbi enodationem hic quidem nullo modo ferri posse, immo χειρογάστορες illud ad Terrigenas Cyzicenos revocandum esse optime C. Tuempelius, 'Cheirogastores und Encheirogastores', Philologi n. s. vol. X (1897) p. 340 sqq. demonstravit.[1]) Ac rectissime hoc potissimum monuit (cf. p. 342 sq.), Terrigenarum tota descriptione Apolloniana (I 942 sqq.) nos utique eo perduci, ut verbum vernacula voce 'Bauchhänder' explicemus.

Tamen sicut Muellerum ita etiam Tuempelium fugit cum qui sensus insit priori illi scholii 989 enuntiato[2]), tum quae inter duo illa scholia intercedat ratio.[3])

Quid verum sit iam Weichertus l. l. p. 263 ex parte divinavit; cf. verba eius: 'Die Giganten des Dichters waren dem Historiker Thessaler.' Quo efficitur Deilochum aliorum scriptorum fabulis, quae quidem pertinebant ad Terrigenas illos, ita rerum vere gestarum speciem induisse, ut in Terrigenarum locum Thessalos substitueret. Iam collatis Deilocheis fragmentis licet concludere, quae in universum logographus de rebus Cyzici factis prodiderit: Pelasgos scilicet Cyzici incolas veteris iniuriae a Thessalis acceptae memores impetum fecisse in Argonautas Thessalos. Contra Apollonius quidem, id quod etiam scholii 989 altero enuntiato indicatur, aliam illam a Deilocho abiectam fabulam secutus Terrigenas praedonum modo[4]) in heroas invasisse enarravit (cf. I

1) Idem vir doctus similiter de hac re disputavit in Wissowiana encyclop. III p. 2221 sq. (s. v. 'Cheirogastores').

2) Nam quod p. 341 interpretatur Deilocho auctore Terrigenas olim Thessalos fuisse, certe omni caret fundamento.

3) Vide e. g., quam lubricam de verbis ἐπεχείρησαν et ἐγχειρογάστορες coniecturam periclitatus sit p. 342.

4) Ita enim ex Apollonianis versibus (cf. maxime v. 951: σίνοντο) apparet intellegenda esse verba scholii 989: δοκοῦντας

941 sqq.; 989 sqq.). Itaque ipsorum fragmentorum Deilocheorum conexu logographum atque poetam in hac quidem re haud leviter inter se discessisse intelligitur.

Hoc etiam, qui in 'Comment. Philol. Gryphiswald.' (Berolini 1887) de 'fabulis nonnullis Cyzicenis' disputavit, Georgius Knaack concessit l. l. p. 41. Sed idem Apollonium cum in aliis tum in eis, quae ad pugnam inter Argonautas atque Cyzicenos commissam pertineant, Deilochum secutum esse statuit fulsitque ratiocinationem illo scholii I, 1037 testimonio: ἠκολούθηκε δὲ Ἀπολλώνιος Δηιλόχῳ. Quibus verbis Knaackium nimiam fidem habuisse quicunque accuratius res contemplatus erit non negabit.

Atque equidem ita argumentationem instituam, ut primum quidem Deilocheam enarrationem, quantum adhuc fieri potest, studeam enucleare. Ad hanc autem restituendam mihi quidem haud leve pondus videtur ipsis scholiorum de logographo testimoniis accedere Cononis Διηγ. c. 41 collato, quippe cuius magnae partes manifesta prae se ferant Deilocheae descriptionis vestigia. Itaque scholiorum testimonia componam cum Cononis verbis huc pertinentibus:

Deilochus.	Cono.
I. fr. 5 M (cf. p. 18): Pelasgi Cyzici incolae veteris iniuriae a Thessalis acceptae memores impetum fecerunt contra Argonautas Thessalos.	*Καὶ ἡ Κύζικος δὲ Πελασγοὺς ἔσχεν οἰκήτορας. — οἱ δὲ μετὰ Ἰάσονος ἐπὶ τὸ δέρας ἰόντες κατίσχουσι πρὸς τὴν Κύζικον τῇ Ἀργοῖ, καὶ μαθόντες οἱ Πελασγοὶ Θεσσαλίδα τὴν ναῦν κατὰ μῆνιν τῆς ἐκβολῆς νυκτὸς ἐμάχοντο τῇ Ἀργοῖ.*

ληστὰς εἶναι; repudianda igitur illa quam scholiasta p. adhibet fontis verborum explicatio: διὰ τὸ νομίσαι ληστὰς εἶναι.

II. fr. 2 M (schol. *L* et *f*[1]) I 961): Δηίλοχος τοὺς μὲν Δολίονας οὐκ ὀνομάζει, τὸν δὲ Κύζικόν φησι πυθόμενον τὴν τῶν ἀριστέων γενεὰν ξενίσαι.	Κύζικον δὲ λῦσαι τὴν μάχην ἐπιστάντα ἀγνοῶν Ἰάσων κτείνει, πεσόντων καὶ ἄλλων Πελασγῶν.
Schol. I 1039 (solo Laurentiano codice traditum): πολεῖς] μνημονεύει Δηίλοχος τῶν ἀναιρεθέντων, ὥς φησι Σοφοκλῆς.	

Videmus Deilocho et Conone auctoribus Cyzicum quidem regem familiariter Argonautis esse usum: cf. et diserta scholii verba et quae Cono indicet participiis λῦσαι τὴν μάχην ἐπιστάντα atque ἀγνοῶν.

III. fr. 4 M (schol. I 974): Κλείτη δὲ θυγάτηρ Μέροπος Περκωσίου τὸ γένος, μάντεως ἣν Κύζικος ἔγημεν, ὡς ἱστορεῖ Δηίλοχος καὶ Ἔφορος.	Καὶ ηὐξήθη ἐκ ταπεινῆς Κυζίκῳ εἰς μέγα ἡ ἀρχή, ἀφ' οὗ Κλείτην, τὴν Μέροπος, ὃς τῶν περὶ Ῥυνδακὸν χωρίων ἐβασίλευε γυναῖκα ἠγάγετο.

Nomen igitur regiae uxoris, de quo singuli scriptores haud leviter inter se dissentiebant, idem et Deilochus et Cono memoriae prodidit.

Quae omnia cum ita sint, haud temere mihi videor concludere, etiam aliis rebus, de quibus ex ipsis Deilocheis fragmentis nil comperimus, plus minusve inter se congruisse auctores duos.

Ac nonnihil existimo illum qui inter Cononem et Deilochi fragmenta intercedit consensum valere ad logographi veteris ramenta apte coniungenda eiusque memoriam fabularum Cyzicenarum redintegrandam. Simu-

1) Schol. p nullam omnino huius Deilochei frustuli facit mentionem

latque autem ratione illa quam indicavimus adhibita, quae Proconnesius de rebus Cyzici factis enarravisse sit putandus, nobiscum reputaverimus, haud paucas easque gravissimas res poetam longe alio atque logographum modo exposuisse cognoscemus. Quod ut perspicuum fiat, iam in animo est utriusque narrationes in comparationem vocare simulque singulis locis, quaenam ratio intercedat inter Deilochum et Apollonium, accuratius illustrare:

Deilochus.	Apollonius.
Argonautas Cyzicum appellentes Cyzicus quidem rex Pelasgorum Thessalicorum, qui Cyzicum condiderant, de genere heroum edoctus hospitio excepit.	Cyzicus rex populusque eius, Doliones, comiter exceperunt Argonautas et convivium cum eis egerunt. Quod ut facerent, oraculo illo regi edito [1]) sunt permoti.

Ac primum quidem cognoscimus poetam Cyzicum incolentes induxisse Doliones, Pelasgos Thessalicos Deilochum. Neque vero invenisse poetam illud nomen, sed ex alio quodam scriptore in suam fabulae expositionem recepisse, documento est Ephori fragmentum 104 M = schol. Apollon. I, 1037:

Ἔφορος μὲν γάρ φησι τοὺς Δολίονας Πελασγοὺς ὄντας καὶ ἐχθρώδως διακειμένους πρὸς τοὺς τὴν Θεσσαλίαν καὶ Μαγνησίαν κατοικοῦντας διὰ τὸ ἀπελασθῆναι ὑπ᾽ αὐτῶν ἐπιθέσθαι αὐτοῖς [2]), γράφων ἐν τῇ ἐννάτῃ.

---

1) Cf. ipsa Apollonii verba (I 969 sqq.):

δὴ γάρ οἱ ἔην φάτις, εὖτ᾽ ἂν ἵκωνται
ἀνδρῶν ἡρώων θεῖος στόλος, αὐτίκα τόνγε
μείλιχον ἀντιάαν, μὴ δὲ πτολέμοιο μέλεσθαι.

Quibus versibus manifestum fit, quod v. 962 sq. dicit poeta, Doliones scilicet Argonautas hospitio excepisse, *ὅτε στόλον ἠδὲ γενέθλην ἔκλυον, οἵτινες εἶεν.*

2) Post *αὐτοῖς* scholium f exhibet *νύκτωρ*, quod fortasse ad meliorem quandam memoriam revocandum est. Contra scholiasta p hoc loco iterum omnia confudit.

Quo efficitur iam Ephorum historicum Dolionum ut Cyzici incolarum fecisse mentionem.[1]) Neque vero poetam Ephorum ipsum secutum esse vel inde cognoscitur, quod Cyzicenorum populum a Pelasgis originem ducere nullo verbo indicat, sed a Neptuno Doliones ortos esse tradit v. 952. Qua re manifestum fit, quam longe distet Apollonius a Deilocho et Ephoro, simulque iam melius intellegitur illa propria quam poeta exhibet de Argonautis comiter exceptis narratio.

Ac quod Deilocho auctore Cyzicus rex heroas hospitio excepit *πυθόμενος τὴν τῶν ἀριστέων γενεάν*, ita certe explicandum erit, ut regem quidem Argonautis Thessalis ab eadem gente oriundis familiariter uti maluisse statuamus. Contra Apollonius prorsus aliam affert causam: oraculum scilicet Cyzico regi editum. Neque Cyzicum solum Argonautas inducit comiter excipientem, sicut Deilochus fecerat, sed totum eius populum. Itaque non mirabimur, quod apud poetam quidem nullum omnino illarum inter Argonautas et Cyzicenos inimicitiarum invenitur vestigium.

Gravissimum autem duco exponere, quantopere hac quoque re Apollonius discedat a logographo; haec enim fere de illa re disseruisse Deilochus mea quidem sententia putandus est collatis et ipsis fragmentis et Cononis fabulae expositione:

Pelasgorum Cyzicenorum populus, quippe qui non eadem atque Cyzicus rex fuerit clementia atque humanitate, veteris iniuriae a Thessalis acceptae memor noctu impetum facit contra Argonautas; Cyzicus rex, qua est

---

1) Sine ullo iure Knaackius l. l. p. 35 adn. Muellerum secutus nomen populi ex Apollonio in scholium transiisse suspicatus est.

liberalitate, pugnam studet dirimere; sed ipse ab Iasone invito interficitur caduntque multi alii Pelasgorum.

Iam inspice Apollonii de pugna enarrationem: Argonautae Cyzico avecti paulo post orta tempestate noctu ad oram Dolionum, quam modo reliquerunt, nescii rursus appellunt. Quo facto Doliones *Μακριεῖς* Euboeenses adesse rati, hostes vicinos latrociniisque deditos[1]), manus cum iis conserunt. Multi cadunt, inter eos rex Cyzicus ab Iasone ipso interfectus.

Videmus igitur Apollonium illud proelium, quamquam non prorsus abiecit, tamen longe aliter illustrasse exortum. Qua re simul poetam coactum fuisse cognoscitur, ut rerum conexum, qui quidem ei traditus erat, haud leviter mutaret: bis enim navem appulsam esse ab Argonautis enarrat, cuius rei ipsum primum exstare testem adnotaverim.

Quicunque autem narrationis huius Apollonianae contextum accuratius consideraverit, certe illam haud ita magnam prae se ferre probabilitatis speciem concedet. Nam parum verisimile est Argonautas, postquam a Cyzico rege populoque eius comiter excepti convivia cum Cyzicenis egerunt, rursus ad Cyzicenum litus appulsos nocte quamvis caliginosa ab hospitibus non esse cognitos.

Atque ipso arcessito rerum conexu ut hic sic multis aliis locis iudico mutationem quandam fabularum a poeta proprio Marte factam significari. Sed ut summam eorum faciam, quae adhuc de Deilocho Apollonii auctore disserui, haec demonstravisse mihi videor:

---

1) Magnopere refert observare, Apollonium hic illam inter Cyzicenos et Pelasgos simultatem in suum usum convertisse: cf. ipsa poetae verba v. 1023 sq.:

ἀλλά που ἀνδρῶν
Μακριέων εἴσαντο Πελασγικὸν ἄρεα κέλσαι

et quae Knaackius de eis protulerit l. l. p. 33 sq.

Nimiam Knaackius scholii 1037 testimonio concessit auctoritatem; vidimus enim Apollonium rebus quibusdam eisque gravissimis haud leviter a logographo discrepasse. Immo testimonium illud inde explicandum esse existimo, quod commentatores antiqui omnium auctorum, qui de rebus illis magnam partem dissimilia tradiderant[1]), maxime Deilochum cum Rhodio poeta senserunt congruere; sed Apollonius mea quidem sententia nil e Deilochi libro nisi singula quaedam repetivit. Neque vero in tanta testimoniorum penuria fieri potest, ut quae tandem logographo debeat poeta, certis terminis circumscribamus. Quod verum esse accuratius cognoscetur in iudicium eis vocatis, quae idem Knaackius de nominibus heroum pugna occisorum protulit p. 39 sq.

Atque initium capit vir doctus a scholiorum I 1039 et 1040 verbis:

1039: *μνημονεύει Δηίλοχος τῶν ἀναιρεθέντων, ὥς φησι Σοφοκλῆς.*

1040: *πέπλακε τὰ ὀνόματα ταῦτα Ἀπολλώνιος, οὐκ ἀπὸ ἱστορίας ἔλαβεν. οὕτω Ταρραῖος.*

Haec testimonia ʻadversa fronte inter se pugnareʼ postquam Knaackius sibi persuasit, hoc modo p. 40 solvit difficultatem, quam inesse verbis existimat: ʻContra Lucillum Tarrhaeum, qui nomina ab Apollonio ipso inventa esse temere contenderat, Sophocles pugnavit ampliore doctrina instructus.ʼ[2]) Quare concludit vir doctus, Apollonium nomina illa heroum ex Deilocho transtulisse.

Sed mea quidem sententia e scholio 1039 nihil licet colligere nisi logographum aliquo modo mentionem fecisse

---

1) Cf. scholii 1037 verba: *περὶ δὲ τῆς τοῦ Κυζίκου ἀναιρέσεως καὶ τῆς ὅλης μάχης οὐ συμφωνεῖται.*

2) Similiter rem explicavit, qui Knaackii commentationem videtur ignorasse, R. Walther, De Apollonii Argonauticorum rebus geographicis (Diss. Philol. Halens. XII), 1894, p. 45.

illorum heroum proelio occisorum; neque multo dissimilius Deilochus quidem de hac re dixisse erit putandus atque Cono mythographus; cf. huius verba: *πεσόντων καὶ ἄλλων Πελασγῶν*.

Deinde quod Lucillus illa nomina ab Apollonio ipso inventa esse contendit, ne hanc quidem adnotationem ad vivum resecare licebit, sed Lucillus cum illa nomina apud alios auctores quos evolvit deesse animadverteret, simpliciter videtur conclusisse, a poeta ipso ea esse inventa.

Sed cave credas omnia nomina, quae profert poeta, ab eo esse ficta. Immo unum alterumve nomen Apollonium *ἀπὸ ἱστορίας* repetivisse nullus negaverim. Ac libenter Knaackio concedam illius quidem Zelyis nomen (v. 1042) a poeta non esse inventum.[1])

Iterum vidimus Deilocheam narrationem non ita fuisse comparatam, ut Apollonius poeta eam totam atque integram potuerit adhibere.[2])

Quae cum ita sint, certe illud quoque abiciendum esse apparet, quod Knaackius quidem ex Apolloniani carminis vestigiis quibusdam Deilocheam rerum expositionem etiamnunc erui posse sibi persuasit. Veluti inspice, quae protulerit vir doctus de Cyzici regis progenie l. l. p. 35: elicit illo loco ex Conone (I) et Apollonio (II) haec stemmata:

I.	II.
Apollo—Stilbe	Apollo—Stilbe
↓	↓
Cyzicus—Clite	Aeneus—Aenete (Eusori *f.*)
	↓
	Cyzicus—Clite.

1) Memorabile iudico, quod apud Valerium Flaccum idem nomen recurrit (III 152), discrepant cetera ab illo allata. Alio loco me ad hanc quaestionem rediturum esse spero.

2) Hoc iam breviter indicavit Erwinus Rohde 'Griech. Roman', ed. II p. 124 adn.

De quibus adnotat: 'Nonne et Aeneus et Aenete eiusdem videlicet stirpis videntur additi esse, ut stemma amplificaretur? Quodsi ita est, simplicius illud stemma Ephoro vindicabimus, qui vetustiorem famam videtur esse secutus, cum Deilochus scriptor Cyzicenus altius repetiverit.' 1)

Sed audacissimam esse hanc coniecturam eo magis erit statuendum, quod ne recte quidem stemmata illa a Knaackio depicta sunt. Neque enim poeta Apollinis et Stilbes proavorum Cyzici ullam facit mentionem 2), neque Stilbes matris mythographus.

Equidem prorsus aliter omnino iudicandum esse censeo de illa quae inter Deilochum Ephorum Apollonium Cononem intercedat ratione.

Atque maxime Knaackius mihi in eo videtur errasse, quod scholio 1037 Ephori narrationem Deilocheae opponi sibi persuasit. Hoc enim scholii verbis minime evincitur, refellitur autem ipsis, quae quidem aetatem tulerunt, Ephori frustulis: cf. fr. 104 M = schol. Apollon. I 974 et 1037. Accedit, quod Ephorum quidem historicum adiisse narrationem quandam, qua fabulae ad historiarum formas revocarentur, per se iam verisimillimum est. Neque vero Deilochus num ipse ac solus ab Ephoro adhibitus sit nunc possumus diiudicare, sed satis habeamus concludere summam narrationis Ephorum similiter adumbrasse atque Deilochum.

Neque Knaackio adsentiar Ephorum Cononis (c. 41) 3)

1) Plane absonum iudico, quod Knaackius ('Götting. gel. Anzeigen' 1896, p. 870 adn.) hac audaci sententia nisus contra Dionysii Halicarnassensis testimonium Deilochum post Ephorum vixisse contendit.

2) Huius rei testis solus exstat scholiasta I 948 incertum quendam auctorem secutus.

3) Respicio autem hoc quidem loco alteram solam capitis illius partem, qua de rebus Cyzicenis agit mythographus. De

fuisse auctorem affirmanti[1]); quod ut statuamus Ephori de his rebus pauca et exilia fragmenta non sufficiunt.

Iam igitur, cur hoc potius quattuor scriptorum stemma, ut ita dicam, proponam facile intelleges:

Deilochus — Apollonius

Ephorus — Cono

Sed haec de Deilochea rerum expositione eiusque vestigiis.

Iam redeamus ad singularem illam Apollonii narrationem, quam poetam e Proconnesio repetere potuisse ipse Knaackius negavit[2]): dico illam pugnae inter Terrigenas et Argonautas commissae descriptionem.

Atque recte quidem Knaackius Herodoro Apollonium eam debere mihi videtur esse suspicatus; sed disputationem neque absolvit neque prorsus recte instituit.

Initium capiendum est ab Herodori fragmento 45 M = schol. Apollon. I 943:

τούτων (scil. *Γηγενέων*) *καὶ Ἡρόδωρος μνημονεύει ἐν τοῖς Ἀργοναυτικοῖς, καὶ ὅτι ἐπολέμησαν Ἡρακλεῖ.*[3])

Haec qui leget facile credet Herodorum in Argonauticis suis Herculem contra Gigantes pugnantem induxisse. Sed illo quidem libro Herodoreo hoc non

---

priore parte vide quod Ericus Bethe tulerit iudicium ('Wochenschrift f. klass. Philol.' 1888, 299.)

1) Pedisequus autem Knaackii exstitit qui Cononis narrationes edendas curavit, U. Hoefer ('Konon. Text und Quellenuntersuchung', Gryphiswaldiae 1890, p. 70 sq.

2) Falso Stenderus l. l. p. 41 Apollonianam de Gigantibus narrationem ad Deilochum revocavit perperam intellectis scholiorum I 989 et 1037 testimoniis.

3) Haec sola verba Muellero ad Herodori auctoritatem erant referenda; nam ea quae sequuntur, addita sunt, ut versus Apolloniani 942 sqq. explicarentur.

enarratum fuisse evincitur aliis de Herodoro testimoniis, quae iam in medium profero:

Herodori fr. 38 M = schol. Apollon. I 1289:

Ἡρόδωρος δέ φησι μὴ συμπεπλευκέναι (scil. *σὺν τοῖς Ἀργοναύταις*) *αὐτόν τε* (scil. *Ἡρακλέα*) *καί τινας ἄλλους.*

Herodori fr. 27 M = Apollod. Bibl. I 9, 19, 3 (I 118 Wagn.)[1]):

Ἡρόδωρος δὲ αὐτὸν (scil. *Ἡρακλέα*) *οὐδὲ τὴν ἀρχήν*[2]) *φησι πλεῦσαι* (scil. *μετὰ τῶν Ἀργοναυτῶν*), *ἀλλὰ τότε* (*τότε ἀλλὰ* codd.) *παρ᾽ Ὀμφάλῃ δουλεύειν* (ita verborum traditorum ordinem invertit C. Wachsmuth; idem quamvis dubitanter iam Wagnerus proposuit).

Quibus efficitur Herodoro quidem teste heroem Argus navigationis omnino non fuisse socium. Quid igitur cogitemus de illo scholii 943 testimonio?

Ac Stenderus (p. 42) usque eo scholii verbis fidem habendam esse sibi persuasit, ut hoc modo difficultatem solveret: 'Statuendum' inquit, 'videtur esse eum (sc. Herodorum) istam notam occasione data in Argonauticis addidisse, ubi de Cyzico locutus sit.' Quae tamen sententia quomodo explicanda sit, ne ipse quidem accuratius indicavit. Equidem alia potius eaque, ut mihi videtur, aptiore ratione captiosae huius quaestionis laqueos enodaverim.

1) In ambiguo relinquam ut rem levioris momenti, rectene Muellerus hoc logographi ramentum ad Herodori Heracleam revocaverit. Deinde etiam vix decerni poterit, num alterum illum locum Apollodoreum (II 6, 3, 4 = II 133 Wagn.), quem Muellerus ipsi illi ramento subiunxit, Herodoro auctori liceat vindicare.

2) Unde colligendum erit Herodorum pugnare contra eos, qui Herculem priori saltem parti expeditionis in terram Colchidem susceptae interfuisse prodiderant. Hoc autem ab auctoribus quibusdam narratum fuisse documento est scholion Apollon. I 1289.

Atque hoc certe e scholii testimonio colligendum est: antiqui carminis commentatores Herodoreo aliquo opere illud inter Herculem et Terrigenas proelium narratum fuisse invenerunt. Sed cum in Argonauticis logographi hoc fieri non potuisse perspexerimus, ego quidem Heracleam Herodori suspicor animo eius esse obversatam, qui illam adnotationem Apollonii versibus adscriberet. Tamen cum hoc modo difficultatem illam expedio, nequaquam fieri potuisse negaverim, ut de Terrigenis quidem Cyzicenis in Argonauticis verba faceret logographus. Neque est, quod hunc rerum connexum e scholiis nostris valde concisis atque delumbatis miremur non iam posse facile intellegi.[1]) Quamquam autem accuratius definiri nequit, quomodo res olim antiquis commentariis locupletioribus fuerit illustrata — complures enim rationes possunt excogitari — tamen haec fere dicta esse crediderim:

τῶν μὲν Γηγενέων καὶ Ἡρόδωρος μνημονεύει ἐν τοῖς Ἀργοναυτικοῖς· ἐν δὲ τῷ καθ᾽ Ἡρακλέα λέγει, ὅτι ἐπολέμησαν Ἡρακλεῖ.

Sed via in universum praemunita iam videamus, quibusnam singulis rebus permoti simus, ut poetam illam de Terrigenis carminis partem Herodoro debere statuamus.

Ac si fragmenta Herodori perlustraverimus, illum libenter de mirabilibus rebus narrare haud difficile cognoscemus (cf. e. g. fr. 9—12 M). Veluti terram quandam superiorem esse pronuntiavit (cf. fr. 9 et 10 M), unde cum alia animilia tum leonem illum Nemeaeum adventasse sibi persuaserat. Atque eiusmodi scriptorem de Terrigenis quoque Cyzicenis verba fecisse eo magis crediderim, quod logographum ex illa ipsa Asiae minoris regione oriundum

---

1) Fortasse contractarum sententiarum vestigium etiamnunc videre licet in verbis *καὶ ὅτι ἐπολέμησαν Ἡρακλεῖ* miro modo postpositis.

de fabulis ibi circumlatis accuratius edoctum fuisse probabiliter conicitur.

Quae cum ita sint, equidem ipsorum quoque Gigantum descriptionem Apollonium ex Herodoro repetivisse verisimillimum iudico.[1] Neque casu factum esse existimo, quod ipsis illis versibus, quibus poeta Terrigenarum habitum depingit (v. 942 sqq.), illa de Herodoro adnotatio a grammaticis adscripta est, desideratur alterius cuiusdam scriptoris mentio. Tamen certis argumentis hoc quidem haudquaquam licebit confirmare.

Multo longius progredi possumus in pugnae illius Herodorea narratione etiamnunc restituenda. Exordiar autem a poetae versibus I 996 sq.:

δὴ γάρ που κἀκεῖνα θεὰ τρέφεν αἰνὰ πέλωρα
Ἥρη, Ζηνὸς ἄκοιτις, ἀέθλιον Ἡρακλῆι,

quibus in codice *L* (I 996) haec verba adscripta sunt: *μυθικῶς φησιν* (scil. *ὁ Ἀπολλώνιος*) *ὑπὸ Ἥρας ἐφ᾽ Ἡρακλεῖ τετράφθαι τοὺς Γηγενεῖς. ὁ δὲ μῦθος ἀπὸ τοῦ Νεμεαίου λέοντος* [*αὐτοὺς γεννᾷ* additur scholl. f et p (cf. p sub I 989)].

Iam quaeritur, quonam spectet illud *μῦθος* scholio adhibitum. Atque rem acu tetigisse mihi videtur C. Muellerus, qui FHG II p. 39 (sub Herodori fr. 45) vocem *μῦθος* ad Herodorum referendam esse indicavit. Quod enim illa fabulae forma Nemeaei leonis mentio fit, ad Herculem illam pertinere haud difficile intellegitur. Neque vero, quicunque secum reputabit, quanta in Herculis potissimum fabulis enarrandis Herodori antiquis temporibus fuerit auctoritas, illo generali modo logographi indicari testimonium mirabitur. Quid? Quod accedunt certa eaque gravissima argumenta:

Nemeaeum leonem Herodoro auctore e superiore

1) Hoc etiam Knaackius suspicari videtur; Tuempelius autem (l. l. p. 342) poetam nil nisi nomen Terrigenarum Herodoro debere arbitratus est.

quadam terra delapsum esse paulo ante commemoravimus. Hoc logographus nimirum eo consilio sibi finxerat, ut totum bestiae habitum a terrestribus animalibus alienum probaret atque explicaret. Itaque haud mirum videbitur, quod monstra illa Cyzicena e leone Nemeaeo orta esse enarravit. Sed quid? Nonne ampliora etiam concludere licet e singulis vestigiis hactenus cognitis? Mea quidem sententia Herodorus ita res exposuisse est putandus: Gigantes Cyziceni Herculem aggressi sunt, ut Nemeaeum leonem ab heroe necatum ulciscerentur.

Quod si verum est, certe clarius iam apparebit, quanam de causa commentatores antiqui illam fabulae formam Herodoream attulerint: volebant haud dubie indicare, Alexandrinum poetam, quamvis in universum Heracleotam sequeretur, tamen singula quaedam paulo aliter enarravisse atque logographum.

Iam vero, si accuratius inspiciemus scholium 996, etiam verba *μυθικῶς φησιν ὑπὸ Ἥρας ἐφ' Ἡρακλεῖ τετράφθαι τοὺς Γηγενεῖς* ad Herodorum spectare difficile poterit negari. Nam de hac quidem re nimirum scholiastae p testimonium (I 989) praeferendum esse statuerim, quamquam cetera, quae ibi commemorat eum temere confudisse minime infitior.[1]) Hoc autem modo ille rem explanavit: *Ὁ δὲ μῦθος ἀπὸ τοῦ Νεμεαίου λέοντος αὐτοὺς γεννᾷ, καὶ ὑπὸ Ἥρας ἐφ' Ἡρακλεῖ τετράφθαι φησίν.*

Sed Herodori de pugna illa narratione enucleata haud inutile erit perscrutari, quaenam inter eum et Apollonium intercedat ratio. Atque ut ipsum Herodorum a poeta Rhodio adhibitum esse putemus, vel eo adducimur,

---

1) Ut unum exemplum proferam: Post verbum *μέμνηται* ille exhibet *αὐτῶν*, quod nisi ad Terrigenas revocari non potest. Sed Terrigenarum illis Callimacheis versibus, qui afferuntur in scholio (hymn. in Dian. vv. 107—109), omnino nulla fit mentio.

quod Herculem primas in pugna illa partes egisse cognoscimus (cf. v. 992 sqq.)[1]. Neque enim est, quod accuratius patefaciam Herodorum imprimis operam collocasse in Herculis factis celebrandis atque exornandis. Sed fieri non posse dolendum est, ut singula, quae ex ipso Herodoro repetiverit poeta, quae ex aliis, etiamnunc disertis verbis definiamus. Quare illam quae inter logographi et poetae narrationes intercedat necessitudinem generaliter circumscribere contentus sum.

Atque hoc quidem mea sententia licet statui, Apollonium ita Herodoream pugnae descriptionem adhibuisse, ut in Argonautarum fabulam transferret. Sed ea re poetam a logographo discrepare elucet, quod admodum mutavit illam proelii causam ab Herodoro allatam: omissa enim Nemeaei leonis mentione ad solam Iunonis erga heroem iram revocavit pugnam Apollonius.

Itaque de hac quoque re valet illud, quod iam saepius monuimus, Rhodium scilicet poetam aliorum auctorum fabulas proprio modo in suum usum convertere esse solitum.

§ 3. De rebus in Mysia factis.

De rebus in Mysia factis Apollonius refert I 1153 sqq.

Atque summa narrationis huius continetur casu Hylae pueri, quo Herculem in Mysia orbatum esse satis antiqua erat fabula.[2])

Postquam autem recentioribus temporibus de Hylae fabula repetitis iam multorum curis quaesitum est[3]), nunc

1) Hoc quidem et ipse Knaackius recte monuit.

2) De qua vide quae nuperrime exposuerit Rolandus Koehler, Analecta Hellanicea, Stud. Lips. Philol. 18(1898), p. 262 sqq.

3) Cf. dissertationem G. Tuerkii 'De Hyla' ('Bresl. Philol. Abhandl.' VII 4) et qui de ea iudicium tulit G. Knaackium ('Götting. gel. Anzeigen' 1896, No. 11) deinde Wilamowitzium, Eur. Her. [2]I p. 31 atque C. Luetkium, l. l p. 36 sqq.

quidem etiam de Apolloniana fabulae descriptione certiora quaedam quam antea statuere licebit.

Neque quemquam fugerit, huic ipsi carminis Apolloniani parti inesse plurima, quibus offendamur. Permulta enim eorum, quae hic enarrat poeta, cum miro modo inter se coniuncta sunt tum fere nullam omnino prae se ferunt probabilitatis speciem. Quae accuratius explanare G. Knaackius[1]) potissimum ausus est, cuius tamen expositiones multifariam vel corrigendas vel supplendas esse equidem existimo.

Longe autem maximus illarum turbarum numerus mea sententia inde explicandus est, quod poeta et Hercule et Polyphemo cum Hylae fabula coniunctis narrationem gemellam, ut ita dicam, instituit. Quod ut accuratius intellegatur, pauca de Hylae fabula eiusque progressu necesse erit adumbremus.

Ac quod Seeliger in Roscheriano lex. I 2794 et Wilamowitz l. l. coniecerunt, nuperrime Knaackius (l. l. p. 874 sqq.) accurata disputatione comprobavit, Polyphemum scilicet, non Herculem initio Hylae amatorem esse perhibitum; Heraclea demum urbe condita illam de Polyphemo memoriam ita Herculis gloria esse obscuratam, ut hic iam pro illo pueri amator fieret.

Quas duas fabulas ut apte conecteret usque eo non contigit Apollonio, ut totius narrationis vis ac contextus aliquantum attereretur.

Ac praecipue miras quasdam partes assignavit Polyphemo heroi. Quod ut accuratius demonstrem, ea tantum eligam, quae Knaackius alii[2]) vel minus cognoverint vel

1) Cf. praeter locum laudatum quae antea exposuerit vir doctus in 'Hermae' voll. XVIII p. 29 sq. et XXIII p. 137.

2) Cf. e. g. quae R. Volkmann l. l. p. 6 poetae Rhodio obiecerit.

omnino neglexerint. Pertinent autem haec ad ea, quae facientem Apollonius inducit Polyphemum vaticinatione Glauci dei marini obstrictum.

Atque Apollonio quidem teste in fatis erat, ut Polyphemus Mysis in Cii fluminis ostio oppidum *ἐπώνυμον ποταμοῖο* conderet diemque supremum in Chalybum finibus obiret (cf. v. 1321 sqq. et 1345 sqq.). Accuratius autem, quae acciderint heroi ab Argonautis relicto comperimus ex alio carminis loco, IV 1472 sqq., ubi haec obiter de Polyphemo enarrat poeta:

ἀλλ' ὃ μὲν οὖν Μυσοῖσιν ἐπικλεὲς ἄστυ πολίσσας
νόστου κηδοσύνῃσιν ἔβη διζήμενος Ἀργὼ
τῆλε δι' ἠπείροιο· τέως δ' ἐξίκετο γαῖαν
ἀγχιάλων Χαλύβων· τόθι μιν καὶ Μοῖρ' ἐδάμασσεν.

Quoniam igitur de causa mortis nil indicavit Apollonius, conferre iuvabit Nymphodori illud frustulum, quod continetur scholii IV 1470 verbis: *μαχόμενος πρὸς Χάλυβας οὗτος* (scil. *Πολύφημος*) *ἐτελεύτησεν, ὥς φησι Νυμφόδωρος.*[1]) Magnopere vero dolendum est deesse ampliora de Nymphodori narratione testimonia, qua re fit, ut nil certius de illa quae inter eum et Apollonium intercedat ratione possimus proferre.

Sed hoc quidem contendere liceat Apollonio nil fuisse traditum nisi Cium oppidum a Polyphemo conditum heroemque in Chalybum finibus mortuum. Atque has duas fabulas iam ante Apollonium aliquo modo inter se conexas fuisse etsi non abnuerim, immo ipse suspicor[2]):

---

1) Falso Knaackius ('Herm.' XVIII 30, n. 1) etiam quae antecedunt scholii verba Nymphodoro assignavit.

2) Fortasse Polyphemum pugna inter Chalybes et Cianos commissa cecidisse erat circumlatum. Hoc ut excogitemus eo magis adducimur, quod Chalybum gentem Cianorum vicinam fuisse constat.

tamen poetam Rhodium miram eam quam ipse exhibet rerum coniunctionem minime ex alio quodam scriptore recepisse, invenisse ipsum mihi quidem persuasum est.

Neque minus parvam illam rerum apte copulandarum facultatem eis cognosci duco, quae de Boreadarum fato poeta enarrat v. 1299 sqq. De quibus quae Tuerkius l. l. p. 19 sq. exposuit, non ex omni parte mihi probantur.

Ac primum equidem pro explorato habeo ipsum Apollonium finxisse causam illam qua commotus Hercules Boreadas postea interfecerit. Hoc enim sicut prorsus quadrat ad poetae Rhodii consuetudinem, ita inde comprobatur, quod scholio I 1304 [1]) causae a poeta allatae disertis verbis opponuntur eae quas alii scriptores protulerant. Nil autem aliud Apollonio traditum fuisse existimo nisi notissimam illam inter Herculem et Boreadas simultatem variasque huius rei causas inventas. Quibus quod novam addidit poeta, haud dubie una mercede duas res assecutus est: neque enim solum fabulam amplificabat, sed narratione illa etiam facultas ei dabatur Alexandrino quidem poetae exoptata, ut de *παραδόξῳ* quodam referret: cf. v. 1306 sqq.:

στήλας τε δύω καθύπερθεν ἔτευξεν (sc. *Ἡρακλῆς*),
ὧν ἑτέρη, θάμβος περιώσιον ἀνδράσι λεύσσειν,
κίνυται ἠχήεντος ὑπό πνοιῇ βορέαο.

Sed de toto Apollonii invento ut iudicium feram, nequaquam cum Tuerkio facere possum, qui quod Apollonius ita illam inter Herculem et Boreadas simultatem explicavit, 'per se nec mirandum nec vituperandum' censuit: immo hoc ipsum quoque admodum infeliciter excogitatum esse arbitror. Gravissimum autem est, id quod etiam Tuerkius concedit, quod Apollonius paulo

---

1) Supplementi causa huic testimonio subicienda sunt verba scholii I 1300 et Apollodori Bibl. III 15, 2.

post Glaucum vaticinantem induxit, qua re quam male causam illam poeta novaverit etiam clarius apparet. Sed haec de Boreadis.

Iam tertio loco animos adverterim ad ea, quae Apollonius exposuit de illa inter Herculem et Hylam necessitudine. Quae ut tractanda eligerem, ego eo commotus sum, quod hanc ipsam rem poeta tam obscure indicavit, ut nisi aliunde edocti essemus, de compluribus rebus haud sine iure posset disceptari.

Ac rectissime de hac quidem re iam Tuerkius dixit haec (p. 26): 'Hylam ab Hercule amari Apollonius diserte non dicit, ac nisi id sciremus, paene miraremur, quod tanto studio tantoque dolore permotus postea Hercules servum suum quaerit.' Idem quantopere Theocritea rerum expositio hac re praestet Apollonianae suo prorsus iure monuit.

Sed item Rhodii poetae narrationem vituperandam censeo de notissima illa inter Thiodamam et Herculem simultate, qua factum est, ut heros Hylam puerum secum duceret. Ac simul ex eis, quae de hac re Apollonius disseruit (v. 1212 sqq.), nonnulla poterunt effici de fabulae illius antiquis temporibus usitatae et multimodis variatae progressu. Quem accuratius licet perstringere adhibitis et schol. Apollon. I 1212 et eis quae Diodori et Apollodori [1]) narrationibus continentur compendii mythologici vel compendiorum vestigiis cum scholio illo partim consentientibus.

Atque C. Luetke l. l. p. 38 sq. vario modo, cur Hercules Dryopibus bellum inferret, explicatum esse recte monuit. Has autem tres belli causas ille quidem effecit:

1) Bellum gestum esse traditur post Deianiram in matrimonium ductam ipsaque illa partes in eo suscepisse dicitur.

1) Cf. Diod. IV 37 sq et Apollod. Bibl. II 7, 7, 1 sqq et Bethium, Quaestt. Diod. mythogr. p. 74 sq.

2) Herculis et Deianirae filius, Hyllus, causa est belli. Cum enim fame torqueatur puer, pater a Thiodamante nutrimentum petit ac postquam ille quicquam dare recusavit, Hercules eum bello persequitur.

Qua cum fabulae forma arte cohaeret altera illa, qua Hercules ipse cibi inopia oppressus Thiodamanti taurum eripuisse dicitur. Usurpata autem est haec quidem versio ad cultum quendam (*Ἡρακλῆς Βουθοίνης*) declarandum.

3) Hercules Dryopibus bellum infert, ut scelera ab eis commissa ulciscatur.

Quarum causarum dubito ego quidem, quin recto talo stet prima illa, qua inter Deianiram ac bellum certam quandam rationem intercessisse Luetkius contendit. Ad hoc enim confirmandum argumenta certa desunt. Sed prorsus cum Luetkio consentio de aliis duabus causis, quippe quas ut statuamus ipsa adducamur fabulae memoria.

Atque e Diodori et Apollodori narrationibus etiamnunc potest demonstari illas duas causas initio fuisse seiunctas, posterioribus demum temporibus vario modo esse consociatas. Poenae autem illius etiam a Pherecyde factam esse mentionem recte Luetkius conclusit e fragmenti 30 M verbis: *ληστρικὸν δὲ τὸ ἔθνος* (scil. *Δρύοπες*) *ὁμοροῦν τοῖς Μηλιεῦσιν, ὡς Φερεκύδης ἐν τῇ τρίτῃ φησίν.* Utrum tamen seiunctam hanc causam exhibuerit logographus an cum altera consarcinatam, nunc quidem non iam pro certo licet diiudicare.[1]) — Deinde illud quoque suo iure monuit Luetkius, in ea quidem qua sola poena indicatur fabula et Deianiram et Hyllum esse supervacaneos, neque Thiodamantem neque aliam causam desiderari. Dilucidissime enim hoc apparet e Diodori IV. libri c. 37 § 1, ubi de poena illa sola agitur: hic qui-

1) Fortasse e scholii I 1212 quo continetur fragmentum verborum conexu priorem sententiam rectam esse potest concludi.

dem Hercules is est, qui scelestis Dryopibus terram liberet; neque Thiodamantem neque taurum Diodorus ullo modo commemorat.

Contra prorsus aliter res exposita est in Apollodori Bibl. II 7, 7, 1, ubi occurrunt duae illae causae quamvis breviter attactae, tamen tam levi vinculo inter se coniunctae, ut olim separatas eas fuisse facile intellegas. Atque Apollodoro quidem teste Hercules bis in Dryopum terra commoratus est: primum enim narratur illa de Herculis fame et Thiodamautis tauro ab heroe comeso fabula; deinde autem pergitur: *ὡς δὲ ἦλθεν εἰς Τραχῖνα πρὸς Κήυκα, ὑποδεχθεὶς ὑπ' αὐτοῦ Δρύοπας κατεπολέμησεν.* Itaque, quamquam hic nulla illius contra Dryopes belli causa affertur, tamen Apollodoreo loco duas de quibus dicimus fabulae formas haud difficile dignosci posse elucet.

Iam vero, cum Apollonii narrationem comparaverimus, statim apud eum quoque duas illas causas quamvis alio eoque artiore vinculo coniunctas occurrere animadvertemus: poeta enim, etiamsi de fame ipsa nil dicit, tamen tauri illius, quem a Thiodamante Hercules postulat, facit mentionem. Neque vero cibi inopia coactus apud Apollonium heros taurum flagitavit, sed eo consilio, ut causam belli quandam Dryopibus scelestis inferendi assequeretur.

Itaque hoc quoque loco cognoscitur Apollonii illa res consarcinandi consuetudo; praeterea autem oportet existimemus, parum verisimile esse consilium, quo facit poeta Herculem taurum postulantem.

Quibus cum rebus arte cohaeret aliud narrationis Apollonianae vitium, ad quod postremo animum adverterim: pertinet autem ad illas, quas Trachini oppido poeta assignavit partes.

Atque Apollonius sicut enarrat, isto in oppido Her-

culem obsides nobilissimos deposuisse, quos ei Ciani dederant, polliciti se nunquam Hylam quaerere esse desituros, ita causam huiusce rei proferre omittit. Sed e ceteris de fabula testimoniis tam multum lucis mihi videtur accedere Apollonianae rerum expositioni, ut hunc quoque nodum etiamnunc liceat discindere.

Primum autem velim conferas scholii Apollon. I 1212 verba, quae sunt:

Περιγενόμενος δὲ (scil. *Ἡρακλῆς*) *αὐτῶν* (scil. *τῶν Δρυόπων*) *καὶ ἀνελὼν τὸν Θειδάμαντα ἐδέξατο τὸν τούτου υἱὸν Ὕλαν, καὶ τὸ πᾶν δὲ ἔθνος διὰ τὴν λῃστείαν μετῴκισεν περὶ Τραχῖνα τὴν Θεσσαλικὴν πόλιν καὶ τὴν Οἴτην τὸ ὄρος πρὸς τοῖς ὅροις τῆς Φωκίδος, ἵνα τῇ πολλῇ τῶν ἀνθρώπων ἐπιμιξίᾳ τοῦ λῃστρικοῦ ἤθους ἀπόσχωνται.*

Haec enchiridii mythologici vestigia cuiusnam scriptoris prae se ferant auctoritatem, hic quidem accuratius decernere supersedeo.[1]) Illud tantum moneo eis nullo modo indicari, quanam de causa Hercules in ipsam Trachinis oppidi regionem Dryopes deduxerit. Quod tamen accuratius cognosci puto ex eis quae in Diodori et Apollodori narrationibus continentur fabulae vulgatae reliquiis. His enim efficitur artiorem inter Herculem et Trachina oppidum valuisse necessitudinem.

Atque primum quidem statuendum est et Diodorum et Apollodorum Herculem ante bellum Dryopibus illatum apud Ceycem Trachinis regem facere commorantem: inde igitur heros contra scelestam gentem proficiscitur, inde etiam Apollodoro quidem teste (II 7, 7, 5) contra Oechaliam oppidum. Omnino Diodoro et Apollodoro collatis licet observari Herculem tum quidem bellum aliquod paraturum Trachina in oppidum reverti esse solitum. Quare

1) Toto scholii sententiarum conexu verisimillimum mihi videtur, Pherecydeae narrationis illis quidem quae laudavi verbis quovis modo servatas esse reliquias.

Trachina illo tempore herois domicilium fuisse haud aberrabimus, si contendemus: illic quidem Deianira uxor versabatur (cf. Diod. c. 38, 1), a qua Hercules paulo post in Cenaeo Euboeae promunturio sacra facturus sanctam illam vestem petiit. Denique heros, cum mortem appropinquare sentiret, Trachina est profectus (cf. Diod. c. 38, 2; Apollod. II 7, 7, 10). Quoniam igitur Herculem arto vinculo cum Ceyce eiusque populo coniunctum fuisse vidimus, etiam intellegi duco, quanam de causa heros Thiodamantis victi gentem Trachina transmigrare iussisse feratur.

Quae omnia cum ita sint, equidem nequaquam cum eis facere possum, qui scholii I 1212 testimonio nullam fidem habent, sed verba corrigere student: cf. Keilii adnotationem.

Neque in animo est de singulis coniecturis a viris doctis propositis facere verba; de una tamen pauca mihi liceat proferre, quippe qua accuratius perpensa Reitzensteinii gravissima quaedam de scholiis Apollonianis sententia optime confirmetur: dico E. Bethii coniecturam, quam Knaackius 'Herm.' XXIII p. 319 (cf. etiam eiusdem voluminis p. 131 sqq.) probavit. Bethius autem collato Etym. M. 154, 8 proposuit post verbum *μετῴκισεν* scribendum *εἰς Ἀσίνην*, deinde autem delenda verba ea, quae sequantur inde a *περὶ Τραχῖνα* usque ad *Φωκίδος*. Quam coniecturam prorsus abiciendam esse statim concedet, quicunque accuratius rem perlustraverit.

Atque verum quidem est Asines in oppido Dryopes habitantes ab auctoribus quibusdam esse inductos; sed pertinet hoc ad aliam fabulae formam e. g. apud Diodorum c. 37, 2 occurrentem, qua pars Dryopum ab Hercule expulsorum illo in oppido consedisse narratur. Hic igitur heros expulit, non deduxit populum scelestum.

Quas tamen duas fabulae formas Etym. Magni loco laudato cognoscitur nulla alia de causa esse consarcinatas,

nisi ut inter Ἀσινεῖς et σίνομαι rationem quandam etymologicam temerarie excogitatam intercedere probaretur.

Itaque hac re optime confirmatur R. Reitzensteinii ('Gesch. der griech. Etymologika' p. 210 adn.) sententia, qua Etym. Magni partes cum scholiis Apollonianis congruas ad commentariorum antiquorum recensionem quandam Byzantina aetate ab homine illitterato haud ita sagaciter confectam revocandas esse ille pronuntiavit.

Quibus omnibus rebus efficitur Etym. Magni locum illum minime esse idoneum, quo Bethii coniectura fulciatur.

Quod si tenebimus scholii I 1212 lectionem traditam, inde etiam intellegemus, cur Apollonius Herculem nobilissimos Cianorum obsides Trachine in oppido deposuisse narraverit. Cum enim illuc alterius quidem fabulae testimonio Dryopes ab heroe deducti essent, obsidibus eodem loco retentis optime consulebatur, ut Ciani omni cura in Hylam Thiodamantis Dryopis filiolum quaerendum incumberent. Hunc vero rerum conexum traditum ut dilucide illustraret Apollonio utique non contigit.

Obsides quidem ab heroe Trachine depositos esse scholii I 1357 testimonio Cinaethonis Heraclea narratum erat; quo tamen modo ille de hac re disseruerit, nos nunc latet. Ac ne illud quidem utpote a proposito alienum hoc loco decernam, num re vera Cinaetho ille sit intellegendus, qui inter cyclicos poetas epicos numeratur. Hoc tantum breviter moneam, mea quidem sententia Cinaethonis nomen scholio illo traditum adhuc sine ullo iure esse suspectum.[1])

Quod autem illo modo Trachinis oppidi partes definivi, certe multo verisimiliorem nodi dissolvendi viam ingressus esse mihi videor quam Knaackius: vide quae vir doctus l. l. p. 879 de Cylicranibus illis suspicatus sit.

1) Dubitaverunt de nomine e. g. Seeliger in Roscheriano lex. s. v. 'Hylas' (p. 2793) et Knaackius l. l. p. 878.

Sed haec quidem de rebus in Mysia factis. Atque hac potissimum carminis parte accuratius examinata puto intellegi, quantopere. Apollonio non suppetat ars singulas res apte inter se coniungendi ita, ut in unam absolutamque narrationem coeant.

Multo autem felicius idem versatus est in singulis minoribus quibusdam narratiunculis cum aliis tum amatoriis eleganter adumbrandis atque expoliendis, id quod omnino Alexandrinorum poetarum proprium fuisse satis constat. Hoc etiam illa de Mysia carminis Apolloniani parte evincitur neque praetermiserim ad hoc quoque animos advertere, ne de vitiis tantum illius narrationis verba faciam: dico poetae de Hylae raptu fabulam (v. 1221 sqq.).

Atque Knaackius postrema etiam de hac re commentatione ('Götting. gel. Anzeigen' a. l. p. 885) Tuerkio adversatus nullo iure Apollonium propter illud quidem mihi videtur castigasse. Ego prorsus hic faciam cum Tuerkio, qui p. 23 hanc Apolloniani carminis partem certe multo rectius intellexit.

Tabula argumenti.

Vita.

Natus sum Aemilius Ricardus Knorr in Saxoniae oppido Schwarzenberg anno 1877 a. d. V. Kal. Jul. patre Aemilio, matre Hulda e gente Martin oriunda. Addictus sum fidei evangelicae. Litterarum rudimentis imbutus sum in patriae civili schola selecta quam vocant et in progymnasio cum ea coniuncto. Neque polliceri non possum nunquam me destiturum esse grata erga Haertigium voluntate, ludi illius moderatorem, qui primas Latinas me docuit litteras. Inde a paschali tempore anni 1890 scholam Thomanam Lipsiensem frequentavi, quae Aemilio Jungmann rectore adhuc floret. Ineunte vere anni 1896 maturitatis testimonium adeptus receptusque in numerum civium academicorum Lipsiensium studiis philologis dedi operam. Atque docuerunt me viri illustrissimi Brugmann, Cichorius, Gardthausen, Heinze, Immisch, Kaerst, Lamprecht, Lipsius, Marcks, Marx, Ratzel, Ribbeck (†), Ric. Richter (†), Struempell (†), Studniczka, Wachsmuth, Wundt.

Proseminarii philologici regii moderante Immischio per duo semestria fui sodalis; deinde Lipsii, Ribbeckii, Wachsmuthii humanitate receptus sum in seminarium philologicum, cuius per tria semestria sodalis fui ordinarius, per duo senior. Historico seminario et Wachsmuthii quod septem semestria interesse mihi licuit et

Cichorii quattuor, magnopere gaudeo. Ad seminarium paedagogicum comiter me admisit Ric. Richter. Benigne mihi aditum ad societatem historicam concessit Cichorius per quattuor semestria, ad antiquariam societatem Graecam Lipsius.

Quibus omnibus viris humanissimis, imprimis Immischio, Lipsio, Ribbeckio quid debeam nunquam obliviscar; praecipue autem semper pio gratoque animo colam Wachsmuthium et Cichorium, qui quanta et benignitate erga me fuerint et studia mea foverint liberalitate, non desinam recordari.

Grata denique memoria prosequar philologorum Lipsiensium thiasum, qui mihi praebuit et studiorum largum fructum et amicorum dulce commercium.